

CARMEN
πΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ, AD VIR VM: ER VDL-
TIONE ET PIETATE PRAESTAN-
tem, Ioannem Clypeatoris.


SCRIPTVM

A.

MATTHAEO HVSZ.

thio.

Mostan a halászatnak elűszett
magyar



VV TEBER GAE

1562.

BUDAPESTI REÉPÍTÉSI KÖZÖSSÉG
KÖNYVTÁRA

SCRIPTA

MATTHEO HVS

oīt

Uzsántúli Református Egyházkörrel
Nagykönyvtára, Debrecen

RMK 397

AA TEBER GYE

267

PARUUS amicitiae tecum mihi contigit usus
Hic, ubi Leucoridum limpидus amnis abit,
Ad sua septa tuum siquidem iam flexerat annum,
Phœbus, ab Eoo progrediendo Mari.
Vnica spes uitæ cum me, Fabricator, inermem,
Attulit ad natas ex Helicone Deas.
Caraq; per nostras collatio facta Camœnas,
In non longinquos contigit esse dies.
Orta tamen tecum coniunctio firma, manensq;
Donec Apollineis panditur axis equis.
Sed non à turpi Phlegethonta regente Tyranno,
Qui prædam rapido torquet in igne suam.
Tale nihil siquidem poterit Regnator Auerni
Quando sit insipiens, conciliare, Deus.
Vnde igitur & quia nos Natura ita d'a creauit,
Astraq; quæ normis inferiora regunt
Materia tali fuerat Sociatus & ille
Daudi, Dauid cuius amator erat.
Nec naturæ alius Damonem adiunxerat æstus,
Firmiter ad socij foedera fida sui.
Magnanimus Theseus istam dilexit obansam
Pirithoum, donec mens rediuiua fuit.
Hæc dos Euryalum Niso agglomerârat, Oresti
Hac Pylades etiam sorte ligatus erat.
Sunt super innumeri cum stultis stulta sequentes,
Vanac; cum uanis, Solis utramq; domum,

A ij

At

At tu commoditate parum redolentia spernis,
Quandoquidem Christi te prope Pneuma manet,
Biblica contempsit quondam monumenta uetus,as,
Ceu modō cura quibus nulla salutis inest
Sacra Creatoris non sunt tibi friuola nostri
Dogmata quæ mira dexteritate teris,
Est in te uirtus, illicq; annexa uoluntas,
Et ne conticeam relligionis amor.
Robur Alexandri cum ui Samsonis ademptum:
Est decus Ingenij quo celebrandus eas.
Nota tibi series Hunnorum prisca priorum,
Attila per mundum quæq; patrauit, habes.
Aut latet in quo sit Cyclo nymbosus Orion,
Astraq; quæ uixdum sustinet altus Atlas?
Hinc fit ut à nostro dum uis se iugier albo,
Vix oculi lachrymas continuisse queant.
Ecquis erit uarias qui res mihi narret ad aures?
Te dempto rerum quis memorator erit?
Aethera de nihilo quisnam mihi differet ortum?
Iam casus tegitur pauper Adame tuus.
Vdaq; post lapsum quos conseruauerit artus
Quis dicet postquam disperisset humus?
Sat scio nullus erit de quo noua gesta parentum
Auscultem, quorum lux fuit una, Deus
Viuida uis hucusq; animi, celeberrima Regum
Nomina processu conueniente scit.

Istius

Istius ex uerbis etenim gratanter amici,

Non semel ad sensus intonuere meos.

O quoties dixit spacium sibi nactus apertum,
In quam Dux Pharius mersus obiuit aquam.

O quoties dixit gemebundus ab ore ruinam,
Qua cecidit Charitum, Græcia compta, domus.

O quoties & quam tristi sermone profatus
Narravit casus Buda dolenda tuos.

Tota Monarcharum cessabunt acta potentum,
Tota cadent passim parta trophæa Ducum.

Seria res tantis Ecclesia pressa ruinis,
Nemo feret, qualem senserit esse Deum.

Eximum Bitonis opus quæ temporis hora
Vt placide tandem commemoremus erit:

Et Croësi illustris patientia quando loquetur,
Qua manus Adrasti, purificata fuit:

Forte putas, Candaulis, Amice, notabile factum,
Te mihi Threicia pangere posse chely:

Rara dies (uel si fuerit super ulla) micabit,

Quæ tua uerba mihi præmeditata canat.

Iane, tuos, adamande, relinquis iturus Amicos:
Ah quam præpropero pergis abire gradu

Haud iniusta loquor sic te dimittere nolle, X
Sicut amicitiae pars putor esse tuæ.

Verum quando Dei cupiat redijisse uoluntas,
En patiar Christus quo iubet ire tuus.

Ito bonis auibus, Spiraminiſ ito fauore,

A quo Mortiferis tuta medela uenit:

Sunt loca confiteor conferta latronibus, ima

Quorum sunt tacitis pectora plena dolis.

Caucasei quoniam quali ratione Gigantes,

Insidias tritis dantq; locantq; ujs

Reuera reliquæ quæ sunt sub fidere gentes,

Taliter intentant hic & ubiq; minas.

Itamen audacter, uelatus numinis umbra,

Defendet sancti dextera sancta Dei,

Non solet à miseris Pater ille recedere humandis,

Non solet oppressos deseruisse uiros.

Non solet in pulcro conamine spernere stantes,

Tam bona, tam prona est cura diurna Dei.

Barbara gens sancto potuit nocuisse Prophetæ,

Cui Saül tentabat mille nocere modis :

Diuinus ueluti defensus Apostolus olim,

Sic etiam mitis te prope Christus erit

Quem penes et Deus est, quisnam stomachabitur illi?

Quisue struet cæptæ dira pericla uiæ?

Ipse potest adamanta graui minuisse bipenni,

Ipse potest fortes' impedīsse feras.

Ipse potest uolucres lacerare sub æthere nantes,

Ipse freti pisces annihilare potest.

Robur habet digitis Acheronta mouere tumentem,

Robur habet Satanam præcipitare malum.

Solius

Soliū est oculos tantum sufferre Medusæ,

Sic & Lernææ ferre uenena feræ.

Brachia magnanimi nondum depressa Tonantis,

Qui Rector mundi dicitur esse sui.

Albidos à portu pineta horrenda relinquens,

Cum Patriæ fuerint templa reuisa tuæ.

Trinacriæ maiestas dignis uenerata Camœnīs

Fac age quod iusto debet adesse modo.

Toīna suæ sumat de te pietatis honorem,

Quæc tibi mater restat, auere iube.

Si potes, & tensis amplectere colla lacertis,

Hæc fiet Matri res preciosa tuæ

Pannoniæ ora labat, nec in æthere serpit ut antè,

Vt Deus auxilio, sæpe precare, iuuet.

Quid queat in sacrís oratio uera libellis,

Testantur ueterum scripta probata Patrum.

Hæc facit ut cassæ tribuatur uita puellæ,

Ista facit Phœbi continuisse gradum.

Hac Natum mediante Propheta sub urbe Sarepta

Restituit matri, Matre petente, suæ.

Terra semel pluuias septem non senserat annis,

Eç freto glebas flabat ad astra Notus.

Tum simul omne quod est sitiens perijset, Alumni

Ni precibus bilis mitificata foret.

Laus est cum fido pactum retinere Sodali,

Laus est cum stabili foedus habere uiro.

Qui

Qui ueteres ueluti soleas contemnit amicos,

A reſta peccans deuiat ille uia.

Ergo memor nostri quando conceditur esto,

Grata tibi nostræ turba cohortis erit

In reliquo iuuenum de tota parte cateruam,

Respiciens, solita sedulitate doce.

Hostis enim postquam nostras inuasit ad oras,

Qui, Scythicum à Scythico littore nomem habet.

Et loca quæ fuerant diuinæ addicta palestræ,

Eripuit, Domino sic statuente Deo.

Cernis abūanter quem sit sortita triumphum,

Et qua barbarie turba sepulta gemat.

Sicerit ut ponas donaria digna Tonante,

Sic erit ut multis progeniebus eas.

Conditor Omnipotens cœtum defendito, Christi,

Quem tibi quæsiuit mors operosa tui.

Et me cum nacto clemens moderabere Amico,

Qem tibi commendans ut tueare, precor,

F I N I S.



Tiszántúli Református Egyházkörület
Hagykönyvtára, Debrecen